Omnia transeunt vt revertantur.

HVc ades ô dilecte, ades ô dilecte, soporis
Dive pater lepidi, dive pater placidi:
Da placidā mortē, iuvat, oh iuvat ire per vm-
Et fastiditè linquere claustra meæ (bras.
Despectæ vitæ: nihil hic nisi reddita prisca,
Et iam præteriti semina viva χρόνου:
Omnia mutantur: fugit, at remeabilis, annus:
Ver fuit,& rediit; ver redit,& fuerat:
Omnia mutantur: fugit, at revocabilis, hora,
Præteriit, repetit, quæ fuit antè redit:
Omnia mutantur:fugit,at revolubile,cœlum,
Sol cadit exoriens,exoriturq́; cadens:
…tet. Omnia mutantur: fugit, *at rennabilis,vnda,
Est fluxus gelidæ,retro refluxus aquæ:
Omnia mutantur: fugit, at sibi dedita, ψυχὴ,
Ad patriosq; lares (vnde redîrat) abit:
Omnia mutantur; fugit,at reparabile,scîre
Hoc perit,& surgit,vanuit,evaluit.

Ergo

Omnia mutantur,nihil interit: omne resolvi
Dicitur, at vulgus cuncta perire putat.

Anima non senescit.

HVc scyphos (anima,) hem tibi:
Te nunquam senium carpet vafrè pigrum:
Nec texet gravibus deam
Ærumnis putris ætas; sæva spiculis
Non te transfodiet suis
Diris mors teneram; & summo Iovi intimam.
Labes corporeæ sinent:
Scandes cœlica virgo templa blandula:
Cœtus sidereos videns,
Aeternum placidè ducésq; speculum:
Iuno pronuba vortici,
Argenti nitidi nodum parat sacrum:
At formam Venus integram
Reddet pulchra, iuventam peruenustulam:
Immortaléq; Iupiter
Apponet diadema auri tuæ comæ.

Ergo

Huc scyphos (anima) hem tibi,
Quam nunquam senium carpet vafrè pigrum.